DE AQUA CARMEN

Francesco Fini

Colle sedens viridi spectabam coerula ponti
Foecundo siccam amplexu cingentia terram,
Multaque volvebam vigili magna omnia mente.
Tempus erat, quo mane novo lux purpura, et auro
Vestibat tremulos crispanti flamine fluctus.
Cyclades ut pulchrae melioribus insula ripis
Plurima surgebat sylvis, domibusque decora,
Turrigerumque caput coelo ostentabat, et undis.
Praevalido centum volitabant remige lintres;
At lina, at cymbae captandis piscibus aptae,
At nudi suras, et brachia, verrere et undas
Durati piscatores tua, Petre, cohortis
Atque tuae in mentem revocabant munera prima.

Eois remeans oneraria classis ab oris
Pars in conspectu, pars ostia amica subibat.
Non longe vastas ingenti mole carinas,
Fluctivagas arces belli tormenta ferentes,
Regna quibus servata manent, longeque minantur
Anchora fundabat; lituique, tubaeque canora
Voce salutabant fluitantia stegmata malis.
Alcyones, mergique, marinaque turba volucrum
Tingere se pelago, aut gaudebant plaudere coelo.
Ipsi etiam pisces quadam dulcedine tacti
Solis inardebant radiis, caudisque potentes
Ludere certabant, et amarum attollere rorem.
Grande maris tractus, sua donaque opesque tueri,
Aequora magna nimis, queis sol occumbit, et exit,
Quaeque vagi currunt mutato sidere nautae,
Immensum esse Deum sonuerunt. Muta natantum
Agmina per fluctus sibi quaerere pabula jussa,
Ferre cibos simul, atque humanae commoda vitae;
Murice concha rubens, niveis pretiosave baccis;
Dona salis; famulo mare patrem iuvisere fluctu
Fluminibus datum, et inde latenter (1) habere regressus;
Tradita regna noto, et purgantibus aera ventis;
Mandatumque mari infremere, at non scandere littus,
Consilium, imperiumque tuum, o hominum, et superum Rex,

(1) Qua potissimum ratione maris aquae fontibus, fluminibusque alendis per telluris viscera huc illuc discurrant, Physici ignorant.

Me colere impulerunt, sapienti et mente vereri,
Vera cano: Natura mari nil pulchrius offert
Undique per terras rerum miracla tuenti.
Nec sine mente Dei toties in littore, et ipsa
E navi turbas docuit sanctissima Jesus.
Usus aqua Omnipotens opera ut majora patraret.
Quando Deus terrae fundamina prima locabat
Prodiit ipsa prior magno de gurgite abyssi:
Numine flante super volitabat spiritus illam,
Cunctaque terrarum Omnipotens operatus ab ipsa.
Nou ego particulas, cunctarum elementaque rerum
Sic per aquam primo latitasse soluta (a) putarim,

(a) Qui Geologos inter *Neptunistas* nuncupantur omnia ex aqua per *crystallizationem*, et *praecipitationem*, ut ajunt, prodiisse praedicant plerique tali pacto. Cuncta corporum omnium elementa vel *chemice soluta*, vel *mechanice suspensa* in aqua sub mundi initium continebantur. Tractu temporis aqua in vapores avolare coepit, simulque fortasse ex illa extricari aliquod fluidum, quo nisi satis abunde imbueretur, quaedam elementa chemice dissolvere non potuisset. Hinc factum est, ut corporum, quae certa, ac determinata figura distinguenda erant partes innata quadam attractionis vi alterae ad alteras accedentes, lateribusque majori reciproca attractione donatis coalescentes corpora constituerint, eadem prorsus ratione qua et salina, et alia crystalla efformari quotidie videmus. Crystallisatio siquidem est vel naturae, vel artis *processus*, ut ajunt, aut *operatio*, qua corporis alicujus elementa solventis fluidi interpositione discreta, ac sejuncta, ejusdem fluidi actione, quae eorum attractioni adversatur, sensim vel imminuta, vel subtracta, praevalentis attractionis impulsu sensim accedunt ad invicem, eaque coeunt dispositione, et ordine, quo a natura statuta corporis figura exsurgat. Sic

Ut post in tenues sensim illa abeunte vapores
Plurima per terras sensim certo ordine miris
Prodierint digesta suis crystalla figuris;
Gurgite seu vasto longum stagnante per aevum
Constiterint sublapsa gravi, concretaque massa
Corpora, quae propriis nequeas distinguere formis,
Dotibus at variis vario sint nomine dicta.
Nec quoque crediderim, repetito turbine fluctus
Limoso huc illuc ejectos aequore, sicca
Terrarum coeno obduxisse, admixtaque coeno

aquea vel communis salis, vel nitri solutione in vapores abeunte, vel cubica salis communis, vel prismatico-exaedra nitri crystalla elegant quadam ordine disposita emergunt. Sic ex aquea *carbonatae calcis* solutione fluido illo elastico, quod *acidi carbonici* nomine designatur, avolante, *carbonatae calcis* crystalla obtineri possunt. Tracta itidem temporis stagnantibus aquis, quae in iis mechanice suspensa erant elementa gravitate sua sensim subsidentia, vel, ut ajunt, *praecipitata* corpora efformarunt vel *stratiformia*, vel quae *amorpha* dicuntur, utpote quae nullam constantem, certamque figuram praeseferant, quae postea aqua vel evaporatione, vel alia quavis ratione elapsa paulatim exsiccata riguerunt. Eas autem, quae hac illac occurrunt durati coeni, at marinorum corporum congestiones, ac tumulos ab inundantibus maris fluctibus vel turbine, vel tempestate per terrarum sicca propulsis originem duxisse arbitrantur.

Quae vero ex aqua Neptunistae, eadem ex igne *Plutonistae* Geologi deducunt. Siquidem immani illa vi, qua ignis magno praesertim pondere compressus corpora liquefaciendi, ejaculandi, impellandique pollet, et montes, et insulas excitatas, et metallorum, lapidumque strata efformata asserunt, aliaque multa, de quibus non est hic dicendum per singula.

Multa maris fundum quae compleut corpora, testas,
Pisciculos, algasque putres glomerasse, et in altos
Congessisse simul tumolos: prodire supini
Hinc colles visi, viridesque assurgere montes.
Haec temere finxere Sophi, quae magna patravit
Sed caliganti prudens Deus abdidit [3] umbra,
Conati haud retegenda ausu recludere vano,
Commenti pariter fabellis tradere docti
Omnia nata, ignis quando plutonia rupit
Regna, globos cinerum exesis jaculata caminis,
Lentas metalli massas, liquefactaque saxa.
Sic humiles colles, juga sic minitantia coelum,
Sic quaecumque vago contunditur insula ponto
Emersere: novis rerum spectacula terris;
Maxima nam summo ignea vis si pondere pressa.
Ipse Dei veneror opifex quae dextera fecit:
Nescio quo pacto; tamen hoc scio, se, ipse locutus
Nam Deus, eduxisse de aqua, et per aqoam omnia [4] rerum.
Salve aqua: vis partes adigens coalescere rerum

(3) Deus mundum tradidit disputationi eorum *(filiorum hominum)* ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus. *Ecclesiastici cap.* 3 *v* 11.

(4) Coeli erant prius, et terra de aqua, et per aquam consistens verbo Dei *D. Petri Epist.* 2 *cap* 3 *ver.* 5 = Deus firmavit terram super aquas *Psal.* 135 *ver* 6 = Ipse *(Dominus)* super maria fundavit eum *(orbem terrarum)* et super flumina praeparavit eum *Psal.* 23 *ver.* 2.

*

Attractas, firmaque simul consistere massa
Per te Naturae melius data jussa [5] facessit.
Germina plantarum per te mellita [6] tumescunt,
Frondibus et minimis, minimisque instructa capillis
Radicum subeunt vegetantis munia vitae.
Tuque per exiguos aditus, venasque pererras
Pabula prima vehens [7] aliunde adscita; sed inde
Principiis resoluta tuis elementa ministras,
Gramina queis, segetesque virent, queis crescit et arbos
Adlatura suos, cultori praemia, fructus,
Queis nemora, et sylvae frondent montana tuentes.
Dulce videre satis, sylvisque rogantibus imbrem
Irriguum cecidisse: attollunt arbuta frondes;
Laetantur segetes; et flores prataque rident;
Garrula ludit avis; persultat pascua taurus;

(5) Attractionis effectus, et corporum praesertim cohaesio aquae actione validior fit, quod non tantum Physicorum observationes, sed vel ipsa D. Petri superius adlata verba = *terra*. *per aquam consistens* = confirmant.

(6) Plantarum seminibus germinantibus feculacea eorum substantia in saccaricam aqua solubilem opportuna carbonii subtractione convertitur.

(7) Plantarum foliolis, radiculisque vix primum germinatione explicatis, aqua per eorum vascula circulans eorum pabulum carbonicum acidum, quo plerumque imbuitur, suppeditat: cum vero plantae adoleverint, vegetandi vi aquam in sua elementa resolvunt, ejusque idrogenon, et oxigeni partem in propriam substantiam convertendum absorbent.

Murmurat aura volans; gratoque excita susurro
Ostentare caput gaudet Natura decorum,
Et pulsis nebulis coelo considere aperto.
Quid non humanum, quid non genus omne animantum
Debet aquae? Ipsa Dei dono purum aera servat:
Sorbet enim quidquid foedo vomit ore [8] mephitis;
Pabula quin plantis vegetanti affecta vigore,
Vitalesque suis elemenis sufficit auras,
Plurima quas vitiant, idem consumit et usus.
Ipsa favet stomachom triturae immissa ciborum;
Diluit attritos; arcet fumosque cerebro.
Ipsa rudes cordis salientis lubricat [9] ictus;
Et roseo in venis commiscet sanguine lympham:
Corpora sic, puro ceu gramina rore, vigescunt.
Tendit aqua illimis qua occultum rumpere plumbum,
Rauco per lapides seu murmure currere rivis,
Urbesve alluere, irrequieto aut flumine campos,
Hic habitare salus, sua donaque fundere gaudet.
Lilia mixta rosis hic pingunt ora, videsque

(8) Aqua duplici ratione aeris puritatem servare dicitur. Absorbet enim mephyticas expirationes, quibus aer inficitur, et vegetanti vi in sua elementa resoluta, ut in superiori nota animadvertimus, oxigeni sui partem plantis expirandam suppeditat, quae in vitalem aerem caloris actione convertitur vitalis aeris consumptionem reparaturum.

(9) Ob id potissimum Naturae providentia cor aquam innatat, quae in pericardio, seu cordis sacculo continetur.

Scintillare oculos, totoque nitescere vultu
Ingenium, at promptum faciles ardescere in iras;
Hic longaeva solet numerare senecta nepotes.
Contra ubi pura deest aqua, quamvis aere puro
Vescantur, morbosa trahunt sibi semina gentes.
Ast ubi lenta palus grave olentibus incubat auris,
Languor ibi, miseramque tenent fastidia vitam.
Coelicolae magni, Florae queis credita cura,
Queis crevit, queis crescit adhuc decor urbis amatae,
Ne sinite e puteis undas haurire bibendas.
Numine vestro, opibus regum, studiisque sophorum,
Musarum plaudente choro, citharaque sonanti,
Huc fontes ducti; at magnae vix plebis in usus.
Quod deest dulcis amor patriae suadentibus addat
Nunc vobis, nec majus opus sibi ducat agendum.
Regis ad exemplum tot tantaque ubique parantis
Gaza potens per aquas patriae bene consulat urbi:
Sat se luxus alit: colat utile civica virtus.
Erumpant capita undarum, venaeque perennes
Quaesitae huc illuc, et vasto carcere clausae
Largifluo dociles descendere gurgite discant,
Fontibus atque sonent spumantibus urbe, suosque
Jam tandem felix habeat Flora inclyta Agrippas.
Forte jugis undae illimes, scatebraeque salubres
Deficiunt? cisterna patens sit plurima in urbe:
Ipsa imbrem nulla collecta sorde receptet,
Quem satis Italiae plenis dat mensibus annus.

Eveniaut: morbosque salus, borealia ut aura
Nubes, hinc abiget. Strumis turgentia colla,
Gibbo deformes humeri, distortaque crura,
Multi hebetes oculis, non pauci lumine capti,
Exiles pueri, pallentique ore puellae,
Tantilli et moduli muliercula, homunculus idem,
Atque alvus longo, aut homini vix commoda obeso,
Et jecur obstructum maculosa per ora rubescens,
Occurrunt misero quae saepe miserrima visu,
Sit bona aqua; aere et hoc puro rarissima fient.
Roma, tuis quamquam tabescis pallida in agris,
Fontibus urbe viges, quos hospes flumina credat.
Urbs Pisaea, domus Sophiae, spes thusca juventae,
Fernandi latices tibi origo fuere salutis.
Fernandi Austriaci coelo aucti, et fausta precantis
Gentibus Hetruscis, sonat inclyta fama Labronis
Ad portus. Leopoldus amans coeptique, patrisque
Longinquis puras ducentis collibus undas,
Urget opus: Leopoldus adest, succrescite fontes.
Fama canit, vigilique memor sub corde fovebam
Impiger hic quot, quanta movet. Nonne oppida, et urbes,
Ipsaque rura novata nitent? Se sternere montes
Nonne viis discunt geminum jungentibus aequor?
Fortuna, et populus crescit: ceu floribus addit
Ver flores, ita nunc Leopoldo magna juvante,
Tecta Labron, fora, templa, domum aegrotisque medendis
Adjungit sibi. Rex aequo pede limina tangens

Civis, et agricolae, aequoreaa ditionia ad oras
Senensis regnum vidit squallescere: veram
Ipse mali causam novit: miseratus: iniquam
Agrorumque luem, pecudumque, hominumque paludem
Prilis [10], quae stadia in centum mala brachia pandit,
Contrahere, et flavas inducere jussit aristas.
Magnum opus: at primo nunc coeptum omni arte magistra,
Nostri erat in fatis signandum nomine Regis.
Aspice: ponte fretum structo, portisque sub ipsas
Crescentes undas clausis non amplius audet
Stagnantes undas fluctu corrumpere [11] amaro.
Grosseto en tandem, Prilique, et tristibus agria
Spes alma arridet: juga qui montana, propinquos
Quique tenent colles pacanda ligonibus arva
Invadunt, atructisque habitant magalia tectis.
Mens una, unus amor, movet omnes gratia coepti.
Scitum ubi, non jusso aere novo tot tanta patrari,
Fama canena haec per populos, gentesque volavit,
Atque Leopoldi tuba nomine plena sonabat.

(10) Lacus *Prilis*, seu *Prelius* latinis ita nuncupatus nunc est illa ingens, immanisque palus, quae dicitur = *Lago di Castiglione della Pescaia*. = Si lacus unum, aut vix alterum de hac re addubitantem, noscas facile hunc quaerere nodum in scirpo.

(11) Hoc opus tantae finitimis utilitati, et providentiae fuit, ut *Prilis* oppidani paludi ferme adhaerentes superiori aestivo, et autumnali anni tempore non morbis, immo nec ipsis culicibus affligerentur.

Exturbata vadis, pigroque e gurgite surgens
Festinantis heri imperium, vocemque potentem
Sensit vasta palus Prilis: sensere lacunae,
Fontesque, et fluvii: ecce pater ditissimus Umbro
Felicis limi; ecce prior Bruna [12] horrida fundo,
Qua data porta vocant famulas ad munera lymphas.
Non fulicae interea, nec nvantes gutture corvi,
Sed cygni cinxere polum: videre poetae
Augurium, et tali nova carmine fata recludunt.
Alma salus, mansura veni, spicamque teneto,
Atque cadis cellas, et frugibus horrea comple.
Vos morbi, informes species, pestesque febriles
Hinc fugite, et vestrae haec mandata referte paludi:
Non illi imperium tyrrheni littoris, almae
At Sophiae, Juvenique datum quem suspicit Arnus.
Illa, lacus quondam puris argenteus [13] undis,
Cur ausa obscoenam sese immutare paludem?
Cur veteris famae, veterisque oblita decoris

(12) Fluvius, qui nunc *Bruna*, olim, ni fallor, nuncupabatur *Prilis*, ut videtur ex Plinio *lib 3 cap 4* = Hinc amnes *Prilis*, mox *Umbro* navigiorum capax = Hic fluvius tunc in lacum, ut modo influens, forte illi suum indidit nomen, vel potius hoc ille a lacu recepit.

(13) Antiqui lacus *Prilis* salubritas satis demonstratur ex ipso nomine *lacus*, ex occupatione insulae in eo prominentis per violentiam Clodii amoenitate loci excitatam, ut refert *Cic. pro Mil. cap. 27 cir. fin.* atque ex multis, quae docte expendit *Ximenes Ragionam. pr. della Marem. Senes. pag. 52 et seq.*

Induit ingenium tot foeda immite per annos,
Illa suum certa fluviis sub lege vocatis
Pandat, ditatumque gravi dein subdat aratro.
Sic commissa luat: non stagna, sed arva beata
Prilis erunt: nova rura alter non Clodius [14] armis
Impius invadet: stant jura; et instus, et acer
Advigilat, regnique tenet Leopoldus habenas.
Dum canere haec properant, mediantur et altera vates
Omniparentis aquae laudes numerare redibam.
Ast aqua ut humano generi, humanoque labori
Quot succurrat amica modis quis carmine dicat?
Ipsa vias faciles ad rura paravit, ad urbes,
Ad regna. Arboribus primo didicere cavatis
Transvectare cibos fluvii: dein currere onusti

(14) Clodiene insulae occupatio sic habetur ex Tullio dict. loc. = *Qui (Clodius) cum ab equite romano splendidissimo, et forti viro Tito Pacavia non impetrasset, ut insulam in lacu Prelio venderet, repente lintribus in eam insulam, materiam, calcem, caementa, atque arma convexit, dominoque trans ripam inspectante, non dubitavit aedificium extruere in alieno.* =

Laudatus Ximen. dict. loc. pag. 53 de hac ipsa insula affirmare non dubitat = *L'isola, della quale parla Tullio si è certamente quella, che in oggi dicesi la* = Badiola, = *e che è divenuta penisola per le materie in giù portate dai poggi vicini. Il poggetto della Badiola è ingombrato da fabbriche antiche, tra le quali veggonsi ancora gli avanzi delle mura di una Badia, che fu nei bassi secoli fabbricata sopra le rovine degli edifizi di Clodio.* =

Ad mare navigiis: dein verso remige primos
Sursum agere ad fontes renuenti pondera fluctu.
Ipsa artes aluit: motu, gravitate, vapore
Ditavit: Natura videt, stupefactaque servit.
Quadrifidi ipsa orbis partes patefecit, et unam
Perpetuo abscindens concretam frigore, dona
Quotquot habent aliae terris communia fecit.
Certe haec magna. canenda tamen graviora supersunt.
  O veneranda aqua, nonne Deus tibi perdere pravos,
Nonne bonos servare dedit? Maculaverat omnes,
Deme unam, scelus omne domos: hominique homo erat sus,
Et lupus: uxor erat mala; vir malus; impia proles:
Vis sua cuique Deus: sua pro ratione libido.
Ingemuit Deus ista videns: erumpite, abyssi
Magnae, ait, o fontes: catharactae emittite coeli
Aere stagnantes quotquot divisimus undas:
Crescite aquae: sensim omnia sint sine littore pontus.
Feci hominem: me poenitet: insuperabile fluctu
Delendus mortem videat equitare per undas.
Arca, irrisa ratis, truculenta per aequora curre:
Te mare, te venti, te ingens vereatur abyssus:
Casta novo debes tibi credita semina mundo.
Dixerat: unda sinu erumpit telluris: aquarum
Disclusis portis ruit imber: flumina cursu
Concurrunt, mare et undanti vomit aequore fluctus.
Poena volans madidis pennis irritat ab alto
Diluvium: natat omnis ager: succedere tectis

Cura fuit. Quid tecta iuvant? quid celsa domorum?
Quid turres? montes etiam, arreptaeque carinae
Non valuere necem surgenti avertere fluctu.
Tendebant alii (visu miserabile) palmas:
Optabant prendi quibus obtigit alta tenere;
Prendere et audebant quidquid mora fluctibus esset.
Reptabant alii per cautes: ardua rupes,
Aut erat in votis mons nubila vertice tangens;
Sed lethi mora parva negat sperare salutem.
Assiduos certant imbres emittere nubes:
Horrida majores impellunt flumina fluctus:
Excitum mare detractas sibi sentit habenas.
Succrescunt undae: sensim latet obruta tellus,
Cunctaque pontus habet. Meditanti haec tanta tremiscunt
Corda pavore mihi: gemitu non carmine pandam
Tota hominum, pecudumque cadavera piscibus escam
Aduare, aut dilapsa putri squallescere tabo.
Discite, mortales moniti, servare pudorem,
Spretaque justitiam post munera amica timere.
Armeniae juga tange, novi spes unica mundi
Arca natans: laetare videns, Ecclesia, signum
Sancta tui: caput Iris amica ostende decorum.
Vos, animae castae, placuit quarum integra vita,
Queis arca volitare datum sine fraude per undas,
Luxuriae afflatu miserum defendite mundum.
Littore Erytraeo sed quae sacra carmina, quove
Concentu citharae, percussaque tympana plaudunt?

Per bifidi vada sicca maria pendentis utrinque
Pariete ceu facto per aquas coeunte rigentes
Dum fugere Isacidae properant, callem ecce per ipsum
Quotquot alit laetis Tellus Aegyptia campis
Quadrupedante salum sonitu subit ungula equorum:
Praecipitant currus, et Nili perfidus hospes
Accinctus ferro exuvias meditatur, et iras.
Dira acies mare per siccum flammescit ahena
Luce: hinnitus equorum, et barbara cornua frendent.
Tum vero ingeminat Moysea sub pectore vota.
Audiit Omnipotens: ignemque e nube, metumque,
Mortemque immittens fregit terrore phalanges.
Cum fuga terrifico misceret cuncta tumultu
Numinis imperio Moyses super aequora dextram
Extendit: subita ceu fracta repente ruina
Undarum cecidit moles, et gurgite torsit
Arma, viros, currus, peditumque, equitumque citato
Impete percussere quasi lapis agmina fundum.
Fecerat imperium pontus, sonitque tonantes
Per fluctus, duroque trementes verbere ripas:
Est Deus: hunc terra, hunc Styx, hunc supera alta tremiscant.
Tunc Moyses medius populi stans littore, plenus
Exagitante Deo exarsit cantare triumphum,
Numen Erythraeis quo se patefecit in undis.
    Tandem, aqua, laetanti tibi nectere carmine sertum
Restat opus; numerisque canam non dicta latinis.
Petra Horeb uno virgae imperitando sub ictu

Elicere Hebraeis sitienti in littore fontem
Aequor arenosum docilem diffindere rivis,
Te modo non memorem: nubes neque te excita magno
Parva mari, Eliae septena ob vota reducena
Optatam pluviam cum sidera torrida, et aer
Ferme per quatuor Judaeam exureret annos.
Haec ego quid memorem? in scissa vestigia petra
Fontis adhuc testes: servataque testis Idume
Proceras jactans nutanti vertice palmas.
Regna o siderei rorate nitentia coeli,
Atque pluant Justum nubes, adapertaque terra
Germinet humano generi foecunda salutem.
Sic quondam arcano cecinerunt carmine Vates.
Ast haec fatidicis a te deprompta figuris
Nonne, aqua, te monstrant coeli, terraeque potentem?
Mystica tu siccum vellus placidissima rore
Imbuis, arenti dum omnis sitit area tractu:
Mox illam humectas sitienti vellere totam.
Gaudete Isacidae, gentes gaudete: jubemus
Certam vos ab aqua, et per aquam sperare salutem.
Quin jubet ipse Deus per quem unica dona salutis
Ipse, aqua, constituit per te recludere Olympum.
Praemonstrata tuis signis aequaeva Parenti
Vera Dei Soboles, Deus atque ex Virgine Matre
Verus homo venit postquam succurrere terris,
Carcere et insignes animas educere moesto,
Sublimem et solio regem detrudere Averni,

Ecce Palestinae qui rura, urbesque tenebant
Limpida Jordanis properabant flumina adire:
Joannes, tuba magna Dei acri accendere cantu
Bellum apta in vitium dabat undis munera vitae.
Jesus homo, et Deus ipso se abluit amne. per undas
Inde salus: stygiae gemitumque dedere cavernae.
Heu Solyma invidiae anguineis furiata capillis,
Perfida tu ne tuum potuisti occidere Regem?
Heu furor, heu rabies, scelus heu scelera omnia vincens!
Insolita obductum solem ferrugine, terram
Concussam, horrisono discissa et saxa fragore,
Tantaque terrificis minitantia monstra figuris
Mirata extremam timuit Natura ruinam.
Sed tibi, crudeli nondum satiata furore
Perfida gens, restabat adhuc pars altera caedis?
Jam caput innexus spinis, plantasque, pedesque
Transfixus clavis pendebat robore Jesus:
Lancea proh! sanctum discidit vulnere pectus.
Velavere Chori Angelici sua lumina pennis.
Vidit, et infrendens falcem mora victa refregit.
Vulnere de Jesu cruor at manavit, et unda.
Salvete, o sancti latices: vos pronus adoro,
Vos certa immensi monimenta, et pignora amoris.
Hostia sancta cruore madens, roratque lympha,
Hostia sancta, calent qua nostra altaria, virtus
Qua stat Christiadum, qua pallent Tartara, ne sit
Cor nostrum ut tellus sine aqua tibi; funde sed imbres

Instar aquae multae sordes mergentis in alto:
Mox sceleris purum fac divo exaestuet igne,
Fac velit, Ipsa cupis quae fons, et origo salutis.